

ponebat multo puriorem, quam deinceps Pontificis Romani opera euasit, et vnice per meritum IESV CHRISTI homines saluos fieri posse serio inculcabat. (c) Neque vero solum docendo paganos ad sacra allec̄tabat, sed et exemplo suo multos emendabat, et miraculis, quibus eum sua communiuisse dogmata, omniumque admirationem excitasse memoriae proditum est. Multi enim paganorum, quum idolis pro salute sua sacrificium frustra se fecisse, ideoque contemtionem exposuisse animaduenterent, ad DEI misericordiam confugientes, Christianis se deuouebant, salutifero fonte abluti, non solum novos animis induebant mores; sed etiam pristinos statim exuebant morbos, caelesti gratia diuinitus adspirante. (d) Quo pacto et CHRISTI gloria, et numerus Christianorum creuit mirifice, quos ANSCHARIVS ad ripam fluminis Sliae lustralibus et sacratis aquis tingebat. (e) Ne etiam deessent interpretes veritatis caelestis; qui Christianos instituerent, alios hinc inde sibi adsciuerunt ministros et adiutores. Pueros gentis Iuticae ab HARALDO sibi in disciplinam traditos fide sincera erudiere, et eo contulere operam suam, vt non solum illos, sed etiam alios, e captiuitate redemptos vera imbuerent pietate, ideoque scholam siue ludum iam primo biennio aperuerunt. Suecis autem legatos ad Imperatorem LVDOVICVM mittentibus, ab eoque petentibus verbi caelestis praecones, missu Caesareo ANSCHARIVS in Sueciam contendit. In eius locum a Caesare in Iutia susceptus est GISLEMARVS, vir fide et operibus bonis probatus, atque diuini ardoris plenissimus, qui e rudibus animis superstitionem paganorum radicitus extrahere annisus est. (f) ANSCHARIVS autem e Suecia redux LVDOVICVM conuenit, illique exponit maxima religionis Christianae in Aquilonaribus regionibus incrementa. Is, vt latius etiam nunc diulgaretur optat, et habitis anno MCCC XXXI. in ducatu Luxemburgensi comitiis, Hamburgum metropolin  
consti-